CONFESSIO FIDEI,

In duobus Capitibus,

DE ECCLESIA,

&

REALI PRÆSENTIA IN EVCHARISTIÆ SACRAMENTO.

Propoſita ad diſputandum in ACADEMIA REGIA *ABERDONENSI*,
Die 21. Menſis Septemb. 1635.

A

M. IOANNE GORDONO, ECCLESIASTE ELGINENSI,

Pro gradu doctoratus in SS. Theologia.

Hanc Diſputationem moderante Viro Ornatiſmo ac Doctiſſimo,

Dn. ALEXANDRO SCROGÆO,
SS. Theol. Doctore Celeberrimo;
Olim Præceptore meo dilectiſſimo,
nunc Promotore exoptato.

Cyprian. Qui non habet Eccleſiam Matrem, non habet DEVM Patrem. *Et contra.*

ABERDONIÆ,
IMPRIMEBAT EDWARDVS RABANVS. 1635.

HONORATISSIMO, DOCTISSIMO, ORNATISSIMOQUE VIRO, DOMINO GVL. GORDONO, MEDICINÆ DOCTORI CELEBERRIMO EIVSDEMQ; PROFESSORI IN ACADEMIA *REGIA ABERDONENSI*,

S. D. M. IOHANNES GORDONUS ELGINENSIS ECCLESIASTES.

ECcum, (Vir Eximie & Ornatiſsime) Eccum, inquam, Imbellem fœtum Ingenii, jam labaſcentis, & corporis, duodecem menſes continuos (prorſum protinus ut apud Poëtam) ægritudine & morbo incurabili confecti. En tibi ultimum meum in Scholarum pulvere

agonem; & forsan in terris laborem in hoc genere noviſſimum. Hujus συζητησεως ortum, progreſſum, fortunam, ac eventum, DEO TER OPT. MAXIMO, (cui omnia noſtra) jamjam conſecro. Tuum, Vir Doctiſſime ac Ornatiſſime, ſub DEO patrocinium peto, ac imploro. Idque adverſus criticorum mordentium cenſuras plus æquo rigidas & malevolorum omnium, ſive Clandeſtinos morſus, atque exangues ſuſurrus, ſive palam ſycophantias, ac vituperia. Cui igitur offerrem ego, valetudinarius fidei meæ ex parte confeſſionem, niſi tibi fideliae pientiſſimo viro; Cujus non eſt in Medicina Theorica, ac Practica fama eminentior, quam in DEUM pietas ac in fideles charitas; cui valetudinarius, inquam, & morti quaſi proximus, hunc orphanum relinquerem, ſi non tibi Medico peritiſſimo, qui artis tuæ, & praxeos, myſteria, mihi referare nunquam dedignatus es, abſque φιλαργυρία (quod apud alios rarum & inſolitum eſt.) Cui niſi tibi, qui duplici nomine mihi conjunctus es, & ſanguinis vinculo; & amicitiæ ac familiaritatis nodo indiſſolubili. Nos à crepundiis ſimul fuimus, Scholarum conſortes, perigrinationum ſocii: & poſtea accreſcentibus ann

bus annis, utrinque augebatur affectus arctissimus. Vive diû, Vir Generose, sed vive DEO; Tu nos adama neque frustra, littanias, ac supplicationes quotidianas pro Te fundimus. Nos Te amamus, idque meritò. Vale in CHRISTO, REDEMPTORE Tuo-meo. ELGINI, ex Musæo meo, 4. Kal. AUGUSTI, ANNO 1635.

Tibi Addictus,

M. IOANN. GORDONUS.

Dilectiſsimo Viro,

D. IOANNI GORDONIO,

Ad Doctoratum felicibus auſpiciis promovendo.

GORDONI virtute tua tibi macte, novoſque
Quà ducet genius te tuus adde gradus.
Vulgatos titulos ac obvia nomina ſperne:
Aude aliquid quod Te præmia digna ferat.
Dum labor ingenuus properat noctesq; dieſque,
Eminet & meriti nobilis altus honos;
Non tua res agitur, ſed publica: Vivida namque
Pectoris hinc Icon vividioris eris.

D. Wed.

THESES THEOLOGICAE DE ECCLESIA.

DEUM *esse constat, sic &* Ecclesiam *apud omnes Christiani nominis professores esse in confesso est: ita ut Hæretici ac Schismatici, honorificum, ac nobilissimum Ecclesiæ titulum sibi ipsis vendicare non dubitaverint. Tempore* Donati *senioris ex* Numidia, *& junioris* Carthaginiensis, *majorini successoris, acerrimè disputata est quæstio* De Ecclesia; *non an sit, sed quid aut quæ sit. De hac* Optatus Milevitanus Afer. *contra* Parmenianum Donati *junioris successorem disputat, multa* Augustinus *in Epistolis nervosè, & in disputationibus, adversus hosce doctissimè scripserat. Sed proh dolor! utinam hæc controversia cum suis authoribus tunc sepulta fuisset eadem hæc rixa excitata ab Iuferis, a Donatistis recentioribus, tum Romano-catholicis, quam* Brownistis. *De quibus* Optatus *ore Prophetico, & quasi in Typo-schismatis, lib. 2. contra* Parmenianum *in initio, verbis (etiam tu frater* Parmeniane, *apud vos solos ecclesiam esse dixisti: ergo apud nos in alia parte Africæ non erit ubi est ergo proprietas catholici nominis, si sic contractis ecclesiam ubi hoc Psal. 2. dabo tibi gentes hæreditatem tuam) Idem hic est Pontificiorum error Idem hæc schisma.*

THESES THEOLOGICÆ.

THESIS I.

DE ecclesia ergo dicturi primo distinguemus vocis ambiguitatem, secundo naturam ecclesiæ strictissimè sumptæ per causas delineabimus, tertio dividemus ecclesiam dubiaq; quæ subviri possunt solvemus.

II. *Ecclesia multiplicem habet usum, tum in politicis tum in ecclesiasticis hebraice* קהל *dent. 5. 22. item* עדה *Numer. 16. 2. id est congregatio quæ communis est hominibus cum pecoribus. Ecclesia vox græca est, mutuata ab ethnicis: Apud Athenienses significabat cœtum præconis voce, & publica authoritate evocatum ad audiendum senatus sententiam, tandem a theologis christianis civitate donata, significat rem sacram DEO: Cœtum scil. vocatorum à Deo ad obediendum ipsi in hisce quæ præcipit ad ipsius gloriam, & in hac sensu ecclesia, homonyma vox est varia significans quæ sic distinguntur.*

III. *Ecclesia latissimè sumpta significat tum totum qui DEUM Patrem agnovit creatorem, Christum redemptorem, & Spiritum Sanctum paracletum, explicitè aut implicitè quamvis solum extrinsice hoc profitentur, & moribus corruptissimi sint: & sic hæreticos, Schismaticos, Hypocritas, Reprobos cõtinet, vt membra: quatenus misti sunt cum piè credentibus, at sanctè viventibus in professione externa, & Sacramento Baptismatis externis lavati, hæc accepto solum excludit Paganos, Iudæos, Turcas, & Christiani nominis hostes apertos & conclamatos. hæc Matth. 13. comparatur agro in quo variè semen accipitur pro qualitate ac conditione agri. Item de ea est parabola tritici & zizaniis. Item. 2. Timoth. 2. 20. domus magna est de ea dicitur. Matth. 22. 14. quod in ea multi sunt vocati hæc errare potest, & deficere finaliter, in tanto, non in toto.*

CONSECT.

Hæc asserimus Adversus Bellarm. Card. *calumnias. lib. 3. Cap. 2. de Eccles. militan. asserentis: nos internas qualitates requirere, ut aliquis sit membrum*

Eccle-

eccleſiæ, ut inde eccleſiæ faciem obſcurare poſſimus, ad quam nos dirigit Chriſtus *Matth. 18. 17. falſum eſt nam nos non requirimus fidem, ſpem, ac charitatem ut aliquis ſit membrum eccleſiæ in generaliſſima hac acceptatione;* Valdenſis. *lib. 2. art. 2. Cap. 11. citat ex* Auguſtino *de doctr. Chriſtiana lib. 3. C. 32. & ex* Hieron. *non ſunt de corpore* Chriſti, *qui non ſunt cum illo in æternum. ſed ſunt in eccleſia, quia eſt permixta: corpus* Chriſti *autem nec bipartitum, nec permixtum.*

De Hales. *part. 3. q. 12. memb. 3. art. 3. non nego peccatores, & Gehennæ reos, membra magni corporis* Chriſti, *eccleſiæ ſpecioſæ, fuſcæ; nec tamen ſcio introducere eos in eccleſiam electorum, quam dicit Apoſtolus glorioſam ut membra ejus: ſed ſunt in corpore electorum ut mali humores non ut membra in corpore non ſano, & hac cum* Auguſtino, Tom. 9. *quidam ſic ſunt in corpore Domini, ut membra in non ſano: quidam ut humores mali, corpus non plene curatur niſi iſtos evomuerit, exierunt ex me humores iſti, ſed non erant ex me. 1. Iohn. 2. 19.*

IIII. *Eccleſia eſt ex eorum numero quæ Dialectici aggregationis entia aut collectiva nuncupare ſolent: quæ eſſentiali definitione comprehendi non poſſunt, duo enim in ſe continet. Primum reſpondet multitudini, ac materiæ diſperſæ, Secundum vero unitati ordini, ac collectioni unde ſatis eſt ſi aliquali deſcriptioni ejus natura nobis notificetur, ut eam ab aliis cœtibus impuris, ac prophanis diſcrimineamus.*

V. *Eccleſia igitur ſtrictius ac ſpecialiter ſumpta, deſcribitur, cœtus vocatorum a DEO ad gratiam efficaciter per media idonea ut* Chriſto *capiti adunati per fidem, in charitatis Communione vivant inter ſe & tandem gloriam certiſſimam adipiſcantur, in hac ſola eſt finalis perſeverantia: in hac ſola eſt vocatio gratiæ, unde eccleſia nomen ſuum ſortita eſt: in*

hæc ſunt, omnes electi ab Adam *ad finem ſeculi, vel alia ut electi & vocati, vel potentia ut electi nondum adhuc vocati de hac dicitur. Matth. 22. 14. quod pauci ſunt electi.*

VI. *Cauſa ejus efficiens eſt DEVS Pater Filius & Spiritus Sanctus: adminiſtra proxima* Chriſtus Θεάνθρωπος, *mediator, ac redemptor, caput eccleſiæ ſuper omnia à* DEO *conſtitutus.* Col. 1. 18. *Secundaria miniſterialis cauſa, & medium optimum, eſt revelatio divina quovis modo patefacta, ſive per viſiones & ſomnia, ſive per ſcriptum, ſive viva voce, ſive intus.* Heb. 4. 12. Vivus eſt ſermo Dei & efficax ſive foris. 2. Pet. 2. 20. 21. 22. ſive vtroque modo. 1. Timoth. 3. 15. Eccleſia eſt firmamentum, & columna veritatis & veritas Dei eſt fundamentum Eccleſiæ Epheſ. 2. 20.

VII. *Materia hujus Eccleſiæ duplex eſt. Prima ac ſuprema eſt* Chriſtus *ipſe caput Eccleſiæ, mediator inter DEVM & homines, una Eccleſia, unum caput unde oritur corpus congruenter coagmentatum,* Epheſ. 4. 15. 16. Epheſ. 4. 4. 1. Cor. 8. 6. Sponſus unus una dilecta ſponſa. Cant. 6. 8. et quamvis DEI ſervus ſit, Eccleſiæ tamen caput eſt Eph. 1. 22. Eccleſia ipſius complementum verſu. 23.

VIII. *Satis intelligimus DEVM uti Angelorum miniſterio in opere humanæ ſalutis.* Heb. 1. *verſ. ult.* Pſal. 91. vers. 11. in externo Eccleſiæ regimine utitur DEVS nonnunquam perſonis extraordinariis et hoc in utroque Teſtamento: *prophetæ tales fuere ſic Apoſtoli, ſic Evangeliſtæ: ordinarium vero miniſterium in Vet. Teſtamento hiſce apropriatum fuit, qui ſedebant in* Moſis *cathedra:* Matth. 23. 2. et hiſce qui vocati ſicut Aaron. Heb. 5. 4. *In novo Apoſtolorum ſucceſſoribus legittimis demandata eſt cura docendi Eccleſiam, & regendi cenſuris Eccleſiaſticis* DEI *populum. hi fuerunt Epiſcopi, Preſbyteri, Diaconi, qui plurimi ſunt idque neceſſum eſt propter corporis hujus ambitum, ac amplitudinem ſummam: ubi unuſquiſq; Catholici hujus corporis Epiſ-*

copus

copus eſt, habitu, ac divino jure, ſic Preſbyter, ſit Diaconus, actu vero, ac Eccleſiaſtica reſtrictione, ad deſcendam portionem Dominici gregis conſtitutus eſt. Ita recte Cyprianus, Epiſcopatus *unus eſt cujus in ſolidum pars à ſingulis tenetur. Hi omnes ſub* Chriſto *Eccleſiæ membra ſunt ut ille caput eſt: ut vero* Chriſtus *principalis cauſa adminiſtrevit, fidelis* DEO *Patri ſervus.* Heb. 3. 2. *Hi omnes inter ſe ſymmyſtæ, ac Compreſbyteri ſunt: mortalium nemo caput Eccleſiæ ſed miniſter ſolum eſſe poteſt, quia hoc privilegij ſibi ipſi* Chriſtus *ſolum reſervavit.*

IX. *Hæc obſervantes non otioſe damnabunt Romam Antiſtitis ſuperciliosam arrogantiam faſtu* DEO, *& Sanctis exoſo, plus æquo turgentis, ille enim ſe caput ſub* Chriſto *unicum, Monarchicum, ac imperiale, glorioſe venditat. Super Petrum tanquam fundamentum ſecundarium, & ſuper papam angularem lapidem Eccleſiam fundari dicit. Sic Sycophantizat Bellarm in Pref. ad libros de Romano Pontif. habita Romæ Anno. 1577. & Blaſphemè Pontifici ſuo tribuit, quod* Chriſti *proprium eſt, omnem etiam poteſtatem tam interioris fori quoad conſcientiam, quam juriſdictionem externam appello: quam fori exterioris poteſtatem, leges condendi, & exequendi per vim coercivam, quam juriſdictionem externam nuncupant quod ſecularium principum proprium eſt, hæc omnia ſi vera eſſent vite & recte dicerentur in terris vice DEVS: recte.*

Nec Deus, nec homo, ſed medium, & inter utrumq́. *Hæc à mortali quoquam plurimos vires etiam longe ſuperantia, adminiſtrari nequunt; parum abeſſet à blaſphemia hanc homini puto, omnipotentiam tribuere neq́ hæreſeos nota apud me carebit, qui hæc petulanter vel obſtinatè mecum diſputaverit* Auguſtinus *Triumphus ille fumivendulus, Thraſonicus, Sycophanta, Pontificem, ſummum malum, molliter, ſuaviter, ac benigne ſcabit in hoc negotio. Canoniſtæ poteſtatem temporalem Papæ, eamque directam profitentur.* Bellarm in lib. 4. C. 15. *De Romano Pontifice. &* lib. 5. C. 1. *& deinceps, in*

indirectam vult Pighius *de Hierarchia Eccleſiaſtica*, lib. 5. C. 14. & C. 15. Suarez. lib. 3. *cont.* Anglican. *ſectæ error.* C. 13. *Cum* Molina, Sandero, Soto, & *aliis & in hoc etiam ſolum ferè erraſſe videtur vir literatiſſimus* Georgius Caſſander *Theologus, in Conſultat. loco de* Rom. *Pontifice, quod huic errori plus nimio videatur tribuere; alioqui in antiquitatis monumentis perſcrutandis perſpicaciſſimus.*

X. *Statuimus igitur Romano Epiſcopo Eugubinum æqualem in regimine Eccleſiæ & poteſtate ſpirituali in temporalibus nullam poteſtatem habet Papa ut Epiſcopus,* Petri *aut Apoſtoli cujuſvis ſucceſſor: temporalia quæ habet Epiſcopus Romanus ex dono principum aut charitate populi primum adeptus eſt, alia poſtea vi invaſit depræ dationibus & proditionibus exinde ſemper eadem augebat. Sit igitur ſuæ ſedis Epiſcopus, non Epiſcopus Epiſcoporum, utatur privilegiis Canon.* 6. Niceni Concil. *Et hoc habeat jure antiquiſſimo, ſit Patriarcharum primus, ut Can.* 5. Conſtantinopolitani *primi Concilii ſtatuit, propter urbis dignitatem non latitudinem poteſtatis, honoris locum habeat, & hoc jure Eccleſiaſtico, & mere poſitivo utatur cenſuru, & verbi gladio, liget, ſolvat, Epiſcopus, ut Epiſc. nõ authoritate imperiali aut dictatoria Regum diademata ne conculcato, Epiſcopos* συνεργοὺς *agnoſcito & quæ Epiſcopi ſunt Epiſcopalia curet, nos ipſi libenter manus fraternitatis dabimus, alioquin ut Victor ab Irenæo Euſeb. Hiſt Eccleſ.* lib. 5. C. 23. & Stephanus a Cyprian*o in ordinem redigendus eſt.*

XI. *Altera materialis Eccleſiæ pars eſt ipſum electorum corpus qui* CHRISTVM *norunt & agnoſcuntur ab eo, qui Spiritus Sancti & donorum gratiæ participes fiunt* CHRISTVM *non ſolum profitentes, ſed reipſa amplectentes (vocem ſumo* ἀοριστικῶς *ac indefinite) ad æternam ipſorum ſalutem, et hoc inter alia diſtinguit Eccleſiam ſtricte ſumptam ab ea in latiore ſua ſignificatione priore. Idem inviti aſſerunt Pontificii quidam, Becanus in manuali, Cap.* 3. *De Eccleſia concluſ. Prima, in fine. profitetur Eccl*

tur Eccleſiam quoadſuum eſſe materiale internum omnino eſſe inviſibile biſce verbis externis oculis videre non poſſum, an Chriſtiani qui in Eccleſia ſunt habeant interna fidem & charitatem ſed propter fidei externam profeſſionem id credo. Sincerè loquentem Eſpencæum habemus in. 2. Timoth. 2. ver. 19. *Hanc appellat Eccleſiam prædeſtinatorum quæ nunquam ſeducetur: Ferum etiam in* Matth. 16. 18. Non loquitur de *Eccleſia communiter ſumpta ſed de ea quæ ſolos electos complectitur idem aſſerit Stella in lucam in hæc verba ſuper petram ædificat, ea eſt de qua* Paulus *triumphans, ait,* Quis me ſeparabit à charitate CHRISTI? Ribera *in* Apocal. 12. 13. *Tempore Antichriſti dicit, Eccleſiam fore tantum ex prædeſtinatis,* Bellarm. *lib.* 4. *de Eccleſ. Militanti, Cap.* 2. *in hæc verba* Ioan. 10. Oves meæ vocem meam audiunt, *aſſerit,* Oves *hic ſignificare prædeſtinatos. Idem* Tollet. *in hunc locum,* Ecce adverſarios nobiſcum veritatis teſtes habemus. *De hac ſunt CHRISTI dicta,* Ioan. 10. 4. 5. Matth. 16. 18 & Pauli 2. Tim. 2. 19. *De hac ſunt præclara illa Canticorum Elogia, formoſa ſpecioſa ſponſa, hortus conclusus, torus ſignatus.* Epheſ. 5. 27. *Sine ruga aut macula,* 1. Pet. 25. *Genus electum ſacerdotium ſanctum reſpectivè, dicitur de Eccleſia, abſolutè de electis, qui* Cant. 6. *Amica beatiſſima, Aurora, Luna, Sol, hi ſunt in Eccleſia, et de Eccleſia, et de his dicitur.* Matth. 22. 14. Quod pauci ſunt electi, quamvis multi vocentur.

XII. *Forma Eccleſiæ eſt primo vnio membrorum cum capite CHRISTO in fide, deinde communio charitatis ac amoris inter ſe. ex prima unione habet Eccleſia omnem ſuam ſpiritualem virtutem, unde electi ſunt Reges, Prophetæ, & Sacerdotes.* 1. Pet. 2. 9. Ioel. 2 3. Apocolip. 5. 10. Heb. 4. 15. Caro eſt CHRISTVS de carne noſtra. *Ab hac eſt quod Eccleſia eſt ſancta, juſta pia, ac tandem glorioſa futura. ex ſecunda unione habet Eccleſia quod.* 1. Cor. 12. 4. 5. *Vt dona illa diverſa quæ non inveniuntur omnia, in*

ſingulis tamen abſq; confuſione, totius corporis proportionem ac ſymmetriam partim in hoc partim in alio membro ſemper notificent, atq; illuſtrent: cum in toto terrarum orbe nil ſpecioſius reperiatur quam Eccleſiæ corpus quod Apoſtolus ibidem illuſtrat eliganti atq; peropta ſimilitudine humani corporis & membrorum ipſius non ſine myſterio.

XIII. *Finis Eccleſiæ vltimus eſt DEI Gloria. proximus hominum ſalus.* Hoſ. 2. 19. Ioan. 3. 16. 17. Ephes. 2. 12.

Divisio Ecclesiæ

XIV. *Prima diviſio eſt vulgata illa in triumphantem (de qua pro præſentiarum nihil dixero) & militantem de ea preſens erit diſcuſſio. fundatur hæc diviſio in locis ſcripturæ.* Ioan. 16. 33. Apocol. 21. à verſ. 9. Ad finem. Heb. 12. 22. 23. 24. 1. Cor. 3. 9. 10. 11. *Militans Eccleſia eſt cœtus vocatorum hic ad gratiam & gloriam in futuro ſæculo per media ſine ordinaria traditionem, verbum & ſacramenta, ſive extraordinaria quæ* Heb. 1. verſ. 1. πολυμερῶς καὶ πολυτρόπως, *ad eundem finem ducebant, & hoc dico propter Iob. & multos ante legem in medio Ethnicorum degentium, Patriarcharum plurimi viva voce & traditione à parentibus eruditi fiebant in myſteriis fidei abſq; dubio; perplures forſan, per ſomnia, viſiones ac revelationes.*

XV. *Militans partim vet. Teſtamenti fuit & ſpecialiter ſynagoga dicta fuit; partim Novi Teſtamenti eſt & κατ' ἐξοχὴν Eccleſia dicitur huic Militanti competunt parabolæ. Matth. 13. & ſimilitudines in Theſi. 3. De Eccleſia latiſſime ſumpta. eſtq;* Una. *Reſpectu fidei* Eph. 4. 5. *Sancta inchoativè, & Imputativè* (1. Cor. 6. 11 Gala. 3. 2. 7. CHRISTVM Induſtis) *ſed non totaliter in ea ſunt Reprobi, Hypocritæ & mali.* Catholica *eſt reſpectu temporum, perſonarum, locorum.* Galat. 3. 28. *eſt vbiq; negativè non poſitivè, in nullo certo loco, non in omni loco, eſt poſt* Chriſtum (Apoſtolica) *reſpectu doctorum & doctrinæ ab Apoſtolis traditæ*

traditæ & literis conſignatæ & ab Apoſtolicis viris eorumq́ ſucceſſoribus conſtanti traditione ad nos vſq́ jam derivata Ephe. 2. 20. *De hac eſt tritum illud ex* Cypriano *&* Auguſtino, *qui non habet Eccleſiam matrem,* DEVM *non habebit patrem & contra id eſt qui non eſt Eccleſiæ militantis membrum in hoc ſeculo, nunquam erit triumphantis membrum in futuro.*

XVI. *Subdividi ſolet Eccleſia militans in univerſalem & particularem, eſtq́ homonymi ab uno in ſua ſignificata. Nam promiſſiones illæ magnificæ.* Matth. 28. verſ. ult. & C. 16. 18. *Primo principaliter, & fundamentaliter verè ſunt de Eccleſia Catholica omnium temporum, ſecundario reſpectivè per & propter eam particularibus Eccleſiis & magnæ matris filiabus poſſunt & debent applicari non tam certo atq́ ipſi matri applicant ſcripturæ, ac patres, ab ea enim nunquam recedit Spir. Sanctus realiter, finaliter, ac fundamentaliter, ſenſum verò ad ſingulas particulares Eccleſias eatenus pertinent, quatenus in unitate puriorîs fidei, ac charitatis non fictæ communione uniantur ac conglutinantur ſi non in effectu ſaltem in affectu toti corpori catholico ut membra integrantia & inter ſe ut partes homogeneæ.*

XVII. *Catholica Eccleſia eſt cœtus vocatorum ab* Adamo *primo homine ad ultimum uſq́ temporis periodum ad finem ſupradictos. Hæc glorioſa noſtra mater eſt in ſponſo ſuo* Chriſto, *cujus ſplendor, ac majeſtas non ſemper foris videtur.* Auguſtin. Epiſt. 48. *Lunæ eam comparat, quæ ſcandalorum multitudine obnubilatur, & errorum fluctibus operitur* Phœnix *ille* Italicus, picus Mirandulanus Theorem. 13. *aſſerit Eccleſiam tempore* paſſionis, *ſolùm manſiſſe in Virgine* Maria (*quod num etiam verum ſit, eam viz. non dubitaſſe*) *deficientibus Apoſtolis* (*non vidit* Chryſoſtomus *in* Pſal. 14. *ſuper hæc verba:* Non eſt qui facit bonum, ne unus quidem. *Idem nec* Origines homil. 49. *in* Geneſin. nec Bernardus, nec Theophylactus) Arrianæ hæreſeos perſecutione fervente, ſolus relictus eſt Athanaſius,

& non immerito Hieronim. *in Dialog. adversus Luciferianos, ingemuit mundus, & miratus est se Arrianum esse factum. Quis in magno Ariminensi Consilio obstitit nisi* Athanasius, *& paucissimi exules cum eo.* Longus à Coriolana Iesuita *in conciliorum synopsi fatetur tum temporis omnes pæne totius orbis Antistites metu exilii, vel tormentorum, inductos, ut Arrianismo subscriberent; loco de conciliab. Ariminensi Anno* 349. Liberius Roman. Pontifex *huic hæresi subscripsit.* Hilarius *ipsum anathemate percutit in fragmentis ex* lib. 8. De Trinitate. idem *narrat* Petrus Damiani Ep. 16. C. 16. Ad Henricum Ravennæ Episcopum; *quamvis à* Bellarm. in lib. *De scriptoribus Ecclesiasticis repræhendatur, quia asseruit hoc quod verum est.*

XVIII. *Particularis Ecclesia est membrum aliquod magni hujus corporis, matris honorificæ filia, non Domina, hæc si magna, Patriarchalis dicitur, qualis:* Romana, Constantinopolitana, Antiochena, Alexandrina, Hierosolymitana; *Si minor, nationalis, provincialis, diocæsana: parochialis. Partes omnes sunt totum resolutum, & totum simul, partes compactæ, fundatæ in* CHRISTO, *edificatæ in Templum Sanctum* DOMINO Ephes. 2. 19. 20. 21. *Membra in toto vivunt, vegetant, crescunt: absq; trunco aut corpore, arida sunt ac effæta. membra etiam inter se coalescere admodum expedit; hujus tamen* συνοικοδομῆς συναρμολόγημα *humani generis hostis crebris machinationum arietibus impetit, tantùm, non contundit, (idq; quia* CHRISTVS *hoc promisit.* Matth. 16. 18.) *per hæreticos fidei unitatem rumpit, per schismaticos, charitatis communionem. Tales fuerunt.* Arrius, Donatus, Novatus, Pelagius, Archihæresiarchæ *per alios moribus corruptos.* Apocalyp. 3. 1. in fide temporarios. Matth. 13. 21. in fide & moribus Hypocritas. Hos. 4. 8. per mercenarios & idolum gregem relinquens. Zach. 11. *& ut verbo dicam,* Ecclesia percutitur per Pastores nequam, & populum undequaque similem. *Omnes hi*

aliquo

aliquo modo ad Eccleſiam pertinent ſenis & extrinſecè. 1. Ioan. 2. 19. Exierunt à nobis, ſed non erant ex nobis, lues, et contagio Eccleſiæ, nobiliſſimi corporis fœdiſſima tubercula, paleæ negatorum, non frumentum Dominicum, Tertullian. De fuga. item Zizania non colligenda ante mundi exitum ut Matth. 13. 30.

XIX. *Solent etiam* Orthodoxi *Eccleſiam diſtinguere in* Viſibilem & inviſibilem (*quam irridet* pontificii, *ac ſi duas faceremus Eccleſias*) *quæ non eſt generis in ſpecies, nec integri in ſua membra, ſed ſubjecti in ſua accidentia: quia unus & idem homo diverſo reſpectu, vario caſu, ac conditione ad utrumq; membrum pertinet; nam ut eſt homo & extrinſecùs profitetur, ore DEVM confeſſus ad ſalutem, viſibilis eſto, & ex charitate membrum Eccleſiæ hunc eſſe judico, quatenus verò corde creditur ad juſtitiam.* Rom. 10. v. 10. & ex numero electorum eſt, hoc à nemine mortalium forſan nec etiam à cœli principatibus, nec à toto Angelorum choro cognoſcitur. 2. Tim. 2. 19. quia DEVS novit qui ſui ſunt.

XX. *Fruſtra igitur* Becanus *in manuali. tam laborioſè probat Eccleſ. militantis viſibilitatem, quia fatetur* Calvinum Melanthonem, *& alios hoc concedere, otioſè* Cardin. Bellarm. *idem nititur* Tom. 1. cont. 4. lib. 3. Cap. 13. Gordonus Huntlæus cont. 2. Cap. 4. *tam futiliter magno verborum ſtrepitu probat Eccleſiam non eſſe* inviſibilem *contra adverſarios, quos in Ideâ certaminis ſibi fingit, ac pingit.*

Queritur, Num Eccleſia errare poſſit?

Reſp. *In moribus errat, in fide errare poſſunt Paſtores & greges, & utriq;, ſed quod totaliter, finaliter, ac fundamentaliter erret, totius Eccleſiæ Militantis cœtus,* hoc negandum eſt. 1. Tim. 3. 15. Matth. 28. verſ. ult.

Lactan. firmianus divinarum inſtitutionum. lib. 4. C. ult. Eſt fons veritatis, domicilium fidei, Templum DEI, quod ſi quis non intraverit, vel à quo ſi quis exiverit, à ſpe vitæ, & ſalutis æternæ alienus eſt. *Idem ad queſtionem de defectione reſpondendum eſt addendo, quod dictum theſi priori de Eccleſia, catholica fuit.*

2. Queritur, Num hodierna Romana ſit vera CHRISTI Eccleſia, nec ne?

R. *Eſp. Intrepidè nec bonæ cauſæ diffidens, concedenda concedens, neganda negans, eſſe veram CHRISTI Eccleſiam, non catholicam, ſed particularem, non Dominam ac dilatricem, ſed ancillam aut filiam, partem, non totum, ſed addo eſſe membrum ægrum, impurum, contagione, ac lepra infectum, animam pene agens, & hoc primo dico quia Chriſtianiſmi teſſeram multis maculis quamvis fœdatam, adhuc retinet Baptiſmum fix. doctrinam retinet de trinitate adverſus Antitrinitarios, divinitatem CHRISTI adverſus Arrianos, vocationem habet, & in ea multos ſalvari ſaltem ex charitate judico, qui vel tyrannicam factionem oderunt, aut qui communi errore abrepti, pro fidei & cognitionis ſuæ modulo, piè, ſanctè, ac ſobriè vivunt. Agri dominici fateor eſſe portionem, ſed quæ vepribus ac ſpinis tantùm, non obruta ſit, horti concluſi fateor occidentem olim fuiſſe Arboretum nobiliſſimum, ac berbarium notiſſimum, ſed jam & prioribus non paucis ſæculis ita berbeſcens, ut centenis imò miriadibus ſarculorum opus ſit ut ritè depurgetur.*

Hinc reſpondetur ad tritum ac vulgare objectum quod omnes lixæ ac calones in ore habent: aut Romana eſt vera Eccleſia aut reformata. *Dico ego neutram eſſe* Catholicam *ſed membra tantum: vtramq; eſſe Eccleſiam particularem, veram, concedo. Igitur dilemma non conſtringit ſi inveniatur tertium, ego tertium, quartum quintum reperio, hoc pacto:* Ro-

mana

mana Reformata, Græca, Habiſſina Ruthenica *de quibus* Danæus *in commentariis in* Auguſtin. de hæreſibus. Cap. 69. breviter. *Igitur ad argumentum dico*, aut Romana, aut Reformata eſt vera Eccleſia, *negatur propoſitionis diſjunctum: quia non eſt ſufficiens enumeratio partium*, unde ut Plautus in Circulione, Rimam repetio unde evadere potero. *Omnes totius orbis Eccleſiæ particulares puriores & ſaniores faciunt hunc Eccleſiæ catholiciſmum decantatum à patribus, & pro quo cum* Romanenſibus *jam contendimus.*

Sed ad ſatisfaciendum plis ac afflictis animabus in hoc religionis diſſidio, ac Eccleſiæ ſchiſmate, ſic divido Eccleſiæ militantis membra, quæ particulares Eccleſias dicimus. Quædam puriores ſunt, quædam impuriores, nulla jam purißima, puriores ſunt quæ maximè accedunt ad doctrinam ab Apoſtolis traditam & literis conſignatam, ab modum ſacramenta adminiſtrandi, & regiminis, ab Apoſtolis & vitis Apoſtolicis uſurpatum, & ipſorum ſucceſſoribus traditum, vel legibus ſancitum, vel uſu & conſuetudine receptum.

Impuriores ſunt quæ ab hiſce omnibus recedunt quædam longè, quædam longiùs, quædam longißimè, unde in omnibus mundi Eccleſiis puritatis ac impuritatis gradus videre eſt, ſi vel inter ſe comparentur, & ſic quæ in ſe impura eſt, purior poteſt eſſe quam alia quæ impurior eſt, diverſo reſpectu eam puriorem, ſeu reſpective puram & impuram dicendo, ſi verò particulares omnes Eccleſiæ cum Eccleſia illa primitiva comparentur, in primis quatuor, vel quinq; centenariis. DEVS bone! *quantum mutantur ab illâ. Vel ſi aliqua particularis Eccleſia cum ſeipſâ comparetur, abhinc mille ducentis annis nunc videbuntur ſtagna limoſa, quæ antea fontes limpidi erant.*

Ex hiſce aſſero Romanam Eccleſiam labem impuritatis non evitare, ſi non omnium impurißimam dixerim, & ſi non eſſent plures impuritatis notæ in papatu (cum ſint & multæ & maculoſæ) quam monſtroſum illud dogma de poteſtate Pontificis

in civilibus & Eccleſiaſticis, ipſorum bodierna fides ac profeſſio obfuſcat Pauli *præconium* Rom. 1. Infamat Pontifices priores qui martyrium perpeſsi ab Irræneo ponuntur, *exemplum purioris doctrinæ & vitæ.* lib. 3. Cap. 3. Gregorium Magnum contriſtat, qui lib. 4. epiſt. Nomen vniverſalis Epiſcopi (contra Ioannem Conſtantinopolitanum) faſtuoſum arrogans ac Antichriſtianum eſſe aſſerebat, Bernadum pudore afficeret jam Romæ facies qui in lib. de conſideratione ad Papam Eugenium Romam appellavit Babylonem & Antichriſtum ibi ſedere, & regnare dicebat, qui abhinc anno. 1139. hæc dicebat jam Romam Inferorum porticus audacter juraret, quæ revelata facie hæreſes propugnans crimina perpetrat atque defendit, ſic olim Roma ethnica ejus mater in nequitia. Rom. 1. Verſ. vltimo.

3. Queritur, Ubi Reformata Eccleſia ante Lutherum?

Reſp. ad hanc cramben millies coctam ac recoctam, interrogato multiplici non debetur reſponſum vnicum. Primo quæritur de ſubjecto, ſecundo de accidente ſeparabili, in uno eodemq; interrogato duo quæſita, ad quæ ſic reſpondeo Eccleſia fuit vbi jam eſt in Germania, Gallia, Britannia, Italia, Dania. Sed vbi doctores et rectores? Reſp. iidem qui reformarunt Eccleſiam, & hi revera Epiſcopi fuere, Pontifex Cardinales, & fuci Epiſcopi, doctores & rectores æquivoce, & ſecundum nomen ſolum.

Quero ergo vbi fuit Eccleſia cum CHRISTVS *natus eſt? Dices Synogoga fuit. Quero qui Doctores? dices.* Matth. 23. 3. qui ſedebant in Moſis cathedra & hi hyprocritæ, impii et poſtea famoſiſsimi hoſtes et hæretici abnegantes Dominum gloriæ Act. 3. 13. 14. 15.

Ad ſecund

Ad ſecundum Reſp. de reformatione fiz, ante Lutherum *omnes boni eam deſiderabant, multi boni intenderunt eam; Taboritæ, Bohemi, opera* Hieronym. Pragenſ. *et* Ioannis Huſſe *aliquid fecerunt,* Lutherus *facilius incepit, diligentius perfecit, DEO etiam potenter ac prudenter hoc dirigente ad ipſius gloriam & piarum animarum conſolationem in CHRISTO.*

Quæro ego viciſſim ubi Petri *fictitium patrimonium fuit ante* Conſtantini *donationem (ejuſdem notæ)* Reſp. *quoad ſuum ſubſtantiale eſſe ubi jam eſt Romæ utiq; cum ſuburbiis ſuis (ſi Dijs placet) Quæro ego, ubi fuit patrimonialis iſta* Petri *proprietas antè* Conſtantinum *? Dices hoc accidentale eſſe, neque opus fuiſſe ut diceretur tale, nec potuit anteipſam donationem Imperatoris Chriſtianiſſimi, hæc igitur* valento *quantum valere poſſunt apud autores ſuos ſaltem pro me valebunt in hac materiâ. Ego viciſſim dico Eccleſiam reformatam quoad ſuum eſſe ſubſtantiale, ut eſt cœtus vocatorum à DEO fuiſſe ante* Lutherum *ubi jam eſt poſt* Lutherum, *& ipſius tempore; quod ſit reformata, quod proteſtantium dicta fuit, hoc caſuale ac accidentarium nomen ei dediſſe, nec ſic dici opus fuit ante* Lutherum *cujus labore, ac ſudore hoc proprietatis adepta eſt.*

Queritur, Quis prætendentibus hiſce, Reformandi Authoritatem dedit?

Reſp. Idem qui Ioſiæ, Ezechiæ, Davidi, Nehemiæ *et* Eſdræ *eandem poteſtatem reædificandi, & reformandi Eccleſiam Iudaicam dederat, hoc erat officii ipſorum pars maxima, non ſolùm adhortari Sacerdotes & Levitas, ſed & cogere ubi opus eſſet ut mores reforment & errata fidei corrigant. Sed ad ſatisfaciendum junioribus in Theologia, ac tenerîs piorum conſcientiis. Dico & conſtanter affirmo quod nemo adverſariorum negare audebit. Hi reformatores Eccleſiæ, ſi Eccleſiaſtici fuerunt ab Eccleſiâ Romana vocati erant & ju-*

rati ad munia ſua ritè obeunda ad errata corrigenda, ut vitia reprehendant, & cenſuris coerceant. per gradus excurrens in ſingulis probo. 1. Quando Oſtiario claves traduntur ſic dicit Epiſcopus, age quaſi rationem DEO redditurus pro biſce rebus quæ biſce clavibus recluduntur. 2. Lector claræ ac diſtinctæ voce veteris, ac novi Teſtamen. libros recitare debet, & primaeChriſtianæ religionis rudimenta fidelibus tradere. 3. Dicit Subdiacono videte cujuſmodi miniſterium vobis traditur, ideo vos admoneo ut ita vos exhibeatis, ut DEO placere poſſitis (hoc congruè cum Petro Act. 4. DEO placere melius eſt quam hominibus) & hoc obſervent Pontificii, quod ipſorum vocatio vos obligabat ad reformandos errores ut DEO placeremus in officio miniſterii. 4. Diaconis confert Epiſcopus inter alia poteſtatem legendi Evãgelium, et in Eccl. explanandi, ſi abſit Epiſc. aut Preſbyter, quem ſacerdotem appellant. 5. Preſbytero poteſtas, clavium datur (ad omnia ſupradicta) ut aperiat, claudat remittat, aut retineat peccata ſecundum pœnetentiam. 6. Epiſcoporum officium eſt præter ſupradicta ut miniſtros Eccleſiæ reliquos, fidelemq; populum regant, & eorum ſaluti proſpiciant, hæc videantur in ſummâ Catechęſeos Romanæ parte ſecunda de ſacramento Ordinis ad longum.

Et hoc notabile exiſtimo propter importunas vanarum Romanenſium coaxationes, quæ ſemper quærunt reformantium vocationem ad hocce officium, videmus Romanam vocationem in ſingulis gradibus continere exhortationem cum voto, ac juramento, ad ſingula reſtè & ritè in Eccleſia obeunda. Virtute ergo vocationis teneatur pure docere, ut DEO placeant, & hic eſt finis vocationis, & generalis, qui primario intenditur Cum verò obliquè aut ſecundario reſpectu, errores docentur, aut doctor intendit idipſum. aut Epiſcopus in ordinatione, ut doceantur, hic finis eſt ſpecialis reſpectivus & vocantis, a DEO non intenditur, à miniſtris Eccleſiæ tanti non eſt eſtimandus ubi lux in mundum venerit, ut priorem iſtum ſepeliat, niſi plus vereantur homines quam DEVM & timeant ne ἀποσυναγωγοὺς

yò fiant, ſicut ille. Ioan. 12. 41. Laudem hominum plus diligentes, quàm ipſius DEI.

De præſentia CHRISTI in Sacramento Euchariſtiæ.

VERBI *Appendices ſunt Sacramenta. Verbum & Sacramenta ſalutis media, organa gratiæ. Baptiſmus initiationis eſt Sacramentum. Euchariſtia nutritionis, de ea. queritur inter nos & Pontificios, non de reali corporis* CHRISTI *præſentia, hoc enim ab utriſque acerrimè defenditur, ſed tota lis & controverſia de modo hujus præſentiæ eſt.*

Nos igitur confitemur ac profitemur, realem, ſpiritualem, myſticam, ac ſacramentalem præſentiam. ultra progredi non audemus, infra ſiſtere non poſſumus, hoc omnes Chriſtiani nobiſcum fatentur, Romanenſes, Græci, Æthiopes, Rutheni Habaſſini ſi adhuc ignoramus aliquid in hoc myſterio nobis ignoſcendum eſt, non audentibus quærere quomodo ultra hæc ſi ſit alius modus proximior ac ſpecialior nobis incognitus ignoretur abſque ſalutis jactura quod neceſſarium eſt, (CHRISTI utique *præſentia, eaque realis*) *hoc revelatum, quod nobis non erit proficuum, nempe quomodo ultra hæc, dico cum* Cyrillo *in* Ioann. Lib. 4. Cap. 13. Tuum non eſt noſſe ſicut artifex novit quomodo opus ſuum perficiat, at tu ignoras. *Dico cum* Auguſtino, *ut citatur ab* Ioanne Roffenſi *Epiſcopo, in Præfatione adverſus* Bellarm. *pro* Barclaii *Aſſertionibus, nunquam illud quomodo in rebus ſublimibus cogitemus, aut proferamus* IUDAICUM *hoc verbum eſt, et extremi ſupplicii cauſa, ideo Nicodemus audivit cum diceret quomodo hæc fieri poſſunt:* Tu es Magiſter in Iſrael, et hæc ignoras? *Concludo igitur cum* Auguſtino *in* Quæſtionibus. *Oportet nos cum audiverimus;* Niſi ederitis carnem meam, non habebitis vitam, *in ſumptionibus divinorum myſteriorum indubitatam retinere*

vere fidem, et non quærere quo pacto *? nota eſt vox durandi ſpeculatoris viz.*

Verbum audimus, motum ſentimus,
Præſentiam credimus, modum ignoramus.

Noti ſunt Verſus.

Corpore de CHRISTI lis eſt, de ſanguine lis eſt,
Deque modo lis eſt, non habitura modum.

Nos modum omnem ſive Conſubſtantiationis, ſive Tranſubſtantiationis, aut aliquem alium ſpecificantem, aut limitantem hoſce ſupra citatos, omnino rejicimus. Hoc eſt corpus meum, *hoc dixit CHRISTVS.* Hoc eſt copus meum, *ſive* Trans. *ſive* Sub. *ſive* Con. *hoc inauditum puriori Antiquitati, hoc novitatem ſapit, vide* Roſſenſem. *loco citato, igitur quod offertur mihi à DOMINO meo, atque ipſius Miniſtro, hoc gratulabundè recipio. CHRISTVS ſeſe dabit, Miniſter organa efficacia porrigit, dico* Animæ meæ, O beata animula, *dico* DEO Redemptori meo, O DEVS, Tu verus et verax, Tu Vita et Veritas, ſilentium mihi imponunt, Tua dicta, credere volo, et hoc ſufficit, ſcrutari nolo, nam hoc periculoſum eſt.

TRI-UNI DEO GLORIA.

durandi

mus.

est,

rantsub-
itantem
mcum,
Trans.
tiquita-
, igitur
Ministro,
Minister
imula,
erus et
onunt,
nolo,